



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Antverpiæ, M. DC. VIII.**

B.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](#)

## B.

**B**ALTHASAR ETZELIVS, natione Germanus, patria Bremensis; Societati pridem adscriptus, in Archiepiscopali Moguntino Collegio Lingue sanctae Professor, edidit *Florilegia*, seu Eclogas & Excerpta *Homiliarum* xxxiiii. ex Homiliis partim editis, partim non editis, & ex Commentariis *Beati Ioannis Chrysostomi* Archiepisc. Constantinopolitani, Graeca ac Latina interpretatione adiecta. Sermones sunt sententiæque selectæ concionibus sane perutiles; quando SS. Patrum antiquorum dicta recentiorum operibus longè antecellunt.

**BALTHASAR OSTHOVIMVS**, natione Bohemus, vir fuit magni consilij animique, rerum Bohemicarum callentissimus, salutis patriæ hominumque cupidissimus, laborum patientissimus. Vertit sua lingua,

Aureum libellum *Vincentij Lirinensis contra prophanas nonitates*.

*Dialogos S. Gregorij Magni.*

Librum item *De imitatione Christi*, sive *De contemptu mundi*.

*Epistolas Indicas nostrorum Patrum.*

Scripsit etiam librum *De institutione Christiana*, sive *De exhortatione ad virtutem*; sed qui hactenus lucem nondum aspicerit.

**BARTHOLOMÆVS BRAVVS**, natione Hispanus, patria ex oppido Martin Muñoz, Diœcesis Abulensis, decem & octo annos natus, in numerum nostrorum adscriptus est: vir ad humaniores litteras docendas, & pietate pueros informandos, aptissimus. Scripsit hactenus,

D6

*De conscribendis epistolis.*

*De arte Rhetorica.*

*De Syntaxi.*

*De Prosodia.*

*Progymnasmata.*

*Thesaurum Ciceronis.*

*Varia Poëmata.*

Singulari modestia, diligentia, ac dexteritate, Provinciæ Castellæ seminario præst; & nostris erudiēdis, & bonis litteris excolēdis, vtilem nauat operā.

BARTHOLOMÆVS RICCIUS, natione Italus, patria Castroficardensis, qui & Rector aliquot Collegiorum, & Provincialis Præpositus prouinciæ Siculæ fuit. Italico idiomate scripsit,

*Instructio[n]es (sic enim vocat) meditandi, tres in partes distributas.*

*Triumphum Iesu Christi crucifixi, cum Iconibus Martyrum omnium, qui post Christum in cruce acti sunt, æri insculptis ab Adriano Collart Antuerpiæ.*

BENEDICTVS HERBESTVS, natione Roxolanus, patria Leopolitanus, ætate maturus, & quadragesimum agens annum, noster Romæ factus est anno salutis M. D. L X X I. Fuit vir adeò vitæ integritate suspiciendus, ut suo exemplo Principem quamdam fœminam & Palatinam hereticam ad fidem Catholicam conuerterit, & oculos in se omnium animosq; pelleixerit. In missionibus magnam vitæ partem, Verbum Dei disseminando, confessiones peccatorum audiendo, maximo cum fructu consumpsit. Scripsit olim,

*Institutiones scholæ Cracoviensis, apud B. Virginem Cracovię.*

*Explicationes Orationis M. Tullij Ciceronis ad Quirites post redditum.*

*Explicationem selectarum Ciceronis Epistolarum.*

*Vitam Ciceronis, ex eiusdem scriptis collectam.*

*Periodicam disputationem natam ex Sophismate, à Magistro quodam Academiæ Cracoviensis propositam, an Grammatici periodos, membra, & incisa, sententia & Syntaxi distinguant, Oratores autem multitudine pedum ac numero?*

*De eadem quæstione libellum inscriptum Aequus iudex, Dialogi forma.*

*Periodicas responsiones lib. v.*

*Computum Ecclesiasticū lib. duobus ante emendationem Kalendarij Gregoriani editum.*

*Arithmeticam linearum.*

*Precationes Latino-Polonicae.*

*Orationem Synodicam in Synodo Diœcesana Postnauic habitam.*

*Explicationem Eclogæ Gregorij Samboritani.*

*Epistolas aliquot, quibus suum quemdam amicum in Ecclesiam Romanam iniquum, eidem Ecclesiæ restituit.*

*De Iubileo Epistolam Latinam.*

*Librum De Doctrina Christiana, per Dialogum.*

*Confutationem confessionis fratrum hereticorum, qui Valdenses seu Picarditæ dicuntur.*

*Cæremoniarum Baptismi & Rosarij Beatiſ. Marie Virginis expositionem.*

*Prodromum aduersus scriptum Iacobi Niemorei, Sacramentarij Picarditæ, quod edidit contra confutationem confessionis Picarditicæ, Polonicè.*

*Horarum Canonicarum Rationarium.*

*Graci schismatis demonstrationem Chronologicam, Polonicè.*

*Epito-*

*Epitomen Computus Ecclesiastici, cum quibusdam Grammaticæ Rudimentis. Sed BENEDICTVS HER-BESTVS, exactis feliciter sancteque in nostra Socie-tate XXII. annis, anno salutis M.D.XCIII. flexis humi genibus, mortuus repertus est.*

BENEDICTVS PEREYRA, natione Hispanus, pa-tria Valentinus, vix adolescentiam ingressus, ani-mum appulit ad Societatem, & Valentiæ ad nume-rum nostrorum aggregatus est, anno salutis M.D.LII. Inde in Siciliam, mox Romam missus, in omni scientiarū genere diligenter se exercuit, eximiamq; eruditionem consecutus est. Dicendi artem Ro-mæ publicè docuit, Philosophiam Aristotelis enar-ravit, & quatuor pènè Artium curricula docendo confecit, magna auditorum frequentia atque ap-plausu. Ab humanis deinde ac Philosophicis di-sciplinis, ad diuinas & Theologicas gradum fecit. D. Thomam per multos annos interpretatus est, sacras Litteras explanauit; vbique doctus, vbique disertus, suique simillimus. Scripsit hactenus,

*Physicorum seu De principiis rerum naturalium*  
libros x v.

*Commentariorum in Danielem Prophetam lib. XVI.*

*Commentariorum in Genesim Tom. IV.*

*De benedictionibus Patriarcharum lib. I.*

*Selectarum disputationum in sacram Scripturam*  
Tom. I. in quo CXXXVIII. disputationes super li-brum Exodi explicantur.

*Selectarum disputationum in sacram Scripturam*  
Tom. II. in quo CXXCVIII. disputationes super Epist. D. Pauli ad Romanos enodantur.

*Selectarum disputationum in sacram Scripturam*  
Tom. III. in quo CXXCIII. disputationes super

libro Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli.

*Aduersus fallaces & superstitiones artes, id est, de Magia, de obseruatione somniorum, & de diuinatione Astrologica lib. III.*

In huius scriptis tantum apparet ingenium, tanta doctrina atque eloquentia, tanta rerum omnium comprehensio, ut superuacaneum sit lucernam solis lumini inferre.

BERNARDINVS REALINVS, natione Italus, patria Carpensis, claruit adolescēs Bononię bonarum litterarum tractatione, vbi & Commentarium dedit in Epithalamium Pelei & Thetidis Catullianum.

Item *Annotationum in varios auctores siluam.*

Pōst natu grandior Societati nostrae adscriptus, in Neapolitani regni vinca gnauiter pieque laborauit.

BERNARDINVS ROSSIGNOLIVS, natione Italus, Patria Vlmetanus, Dioecesis Albensis in Subalpinis Italiæ; à teneris annis virtutem amauit, seque in Societatem dedit, in quo animum omnibus religiose discipline exercitationibus excoluit, & scientiarum naturalium ac diuinarum cognitione ornauit. Postea ob singularem modestiam, maturorisq; significationem prudentię, variis est Collegiis Praefectus, ac demum Prouinciis Romanę, Venetę, & Mediolanensi Prouincialis Pr̄positus: quod munus grauiter religioseque obiuit. Scripsit,

*De disciplina Christiana perfectionis, pro triplici hominum statu, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, ex sanctis Scripturis & Patribus libros v. valdè eruditos, & ad instituendos potissimum viros Religiosos perutiles.*

Item alterum Tomum *De actionibus virtutum.*

BERNARDINVS STEPHONIVS, natione Italus, Romę

Romæ Poëticam & Eloquentiam annos plurimos professus, composuit *Crispum Tragœdiam*, quæ ter Rome exhibita cum applausu mirè placuit.

B L A S I V S VIE GAS, natione Lusitanus, patria Eborenſis, in Societatem noſtram puer xv. anno- rum admissus eſt Ebore, mense Martio, anno ſalu- tis M. D. LXIX. qui cum omnibus ingenuis artibus expolitus, tum Latinè Græceque potiſſimum eru- ditus, humaniores litteras multos annos professus eſt. Deinde postquam in Academia Eborenſi, ma- gna cum excellentis ingenij, acris iudicij, atque ex- quisitæ doctrinæ opinione Sacras litteras explicas- ſet, præclaros ſcripſit *Commentarios exegeticos in Apocalypsim Ioannis Apostoli*, qui viris eruditis val- dè probantur, & Concionatorum manibus terun- tur. Cum autem lucubrations etiam ſuas in Pro- phetas pararet, morte impeditus eſt. Obiit xxii. Au- gusti, anno ſalutis M. D. XCIX. magno ſui relicto deſiderio. Erat enim vir non ingenio tantum ma- gno, facili, prompto, atque ad omnia parato, ſed etiam placido, affabili, & benigno.

C.

**C**AROLVS SAGERIVS, natione Gallus, primus  
Rector fuit nostri Burdegalensis Collegij. Scri-  
psit doctos atque elegantes in Epist. D. Pauli ad  
Ephesios Commentarios. Scripsit etiam de Institutione  
Sodalitatis, sive, (ut vocant) confraternitatis sanctissi-  
mi & venerabilis Sacramenti.

CAROLVS SCRIBANIUS, natione Belga, patria Bruxellensis, maioribus tamen, quod nomen indicat, Italis Placentinis. Vixit in Societate annos vi-

C 4      ginti